

definitione libertatis, quam explicui in libro 1 de Auxil. Omnia autem auxilia requisita sunt necessaria ad operandum; ergo omnia illa sunt necessaria ad auxilium sufficiens, vel actu data, vel ita oblata, ut in promptu sint, seu in potestate hominis; et declaratur amplius, quia nostra voluntas nuda et auxiliis gratiæ destituta, non habet proximam libertatem ad actus supernaturales, quia vel non habet naturalem potestatem activam illorum, vel ad summum habet quamdam inchoationem cum capacitate recipiendi per gratiam ejus activitatis complementum; et ideo Augustinus interdum dicit naturam humanam per peccatum primi parentis amisisse libertatem ad efficiendum opera salutis, quia amisit gratiam et indignum se reddidit auxilii ejus; et e converso, dicitur per Christum accipere illam libertatem, quia recipit gratiæ auxilia, quibus efficitur potens ad tales actus efficiendos; ergo ut talis libertas sit plena, et proxima in ordine ad usum, debet habere omne auxilium necessarium ad opus in se, vel in manu et potestate sua; sed auxilium proximum sufficiens constituit voluntatem in tali actu libertatis: ergo omnia illa includit.

8. *Probat gratia sufficiens morali ratione, fundata in Scriptura.* — Quomodo intelligi debeat illud Dei apud Isaiam: Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? — Præterea, ratione morali in divina Scriptura fundata hoc videtur sufficienter probari; nam ei qui recipit auxilium vere sufficiens ad opus necessarium ad salutem, et illud non facit, sed vocationi resistit, imputatur carentia operationis ita ut nullam habeat excusationem; ergo oportet ut per tale auxilium habeat vel accepta, vel parata et in manu sua, omnia auxilia ad tale opus faciendum necessaria. Antecedens patet ex verbis Christi: *Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Joan. 15. Et hoc ipsum probant omnia loca Scripturæ, in quibus peccati redarguantur homines qui per gratiam sufficientem non operantur; nam si hoc illis ad culpam tribuitur, profecto excusationem non habent; hujusmodi autem sunt loca illa: *Quoties volui congregare, etc., et noluitis?* Matth. 23. *Vos semper Spiritui Sancto restitistis, Act. 7. Expectavi ut faceret vobis, et fecit labruscas*, Isai. 5. Qui enim fieri potest ut Deus inde fructus expectet, unde scit nasci non posse sine quodam auxilio, quod ipse nec dat, nec paratus est dare, nec ullo modo est in potes-

tate activa terræ, seu vitis, id est, in hominis potestate. Consequentia autem prima probatur ex eodem loco Isaiæ, ubi subjungit Deus: *Judicate inter me et vineam meam, quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* Profecto si illi homines indignissent aliquo auxilio Dei ad ferendum fructum a Deo expectatum, et auxilium illud non habuissent, nec in seipsis receptum, nec a Deo ita oblatum, ut in eorum potestate esset habere illud, si velint, merito Deo interroganti: *Quid amplius facere debui?* respondere possent magnum aliquid debuisse facere, et non fecisse, nimirum illis conferre modum quo possent obtinere auxilium illud, sine quo fructum ferre non poterant. Illa ergo Dei interrogatio aperte supponit habuisse auxilium sufficiens, ita ut ex parte Dei nihil necessarium ad fructificandum illis defuisset. Dicit fortasse aliquis scrupulosus verborum ponderator, Deum quidem nihil ex his quæ debet facere omittere, nec ex his quæ dare debet aliquid denegare; nihilo minus tamen negare aliquid auxilium quod nemini debet, etiamsi absque illo opus fieri nunquam possit. Sed hoc dictorum verborum vim non evacuat; nam imprimis, licet Deus absolute non debeat alicui auxilia sua, si tamen vult hominem ita obligare ad fructum faciendum, ut excusationem non habeat si non ferat, debet omnino aliquo modo ex dictis illi dare omnia auxilia necessaria, nullo dempto. Deinde Cyrillus, lib. 1 in Isai., sic legit hæc verba: *Quid faciam vineæ meæ quod non fecerim ei*, ubi, ablato nomine debui, declaratur nihil ex parte Dei defuisse quod ad ferendum fructum esset necessarium, quod sic exponit Cyrillus: *Quid boni illis defuit, ut inutiles fierent? Si enim rerum ad usum et utilitatem necessariorum quippiam, a me qui plantaveram, forte prætermisissimum fuerit, causæ nihil dicam, neque pœnam exigam; quid enim faciam (inquit) quod non feci? Cum vero rebus ei utilibus plenam, nulliusque rei indigam fecerim, etc.; si nullius rei indigam, profecto neque alicujus auxilii omnino necessarii.* Unde Chrysostomus, eadem verba expendens, homil. 11 in Matth.: *Idipsum (inquit) hoc est considerandum in loco, quid scilicet oportuerit fieri, quod a Deo factum posset negari; et Athanasius, de Passion. et Cruc. Domini, non longe a principio, eundem sensum indicans, ponderat illam particulam adhuc, quam dicit indicare divinam longanimitatem, bonitatem et tolerantiam; et glossa ordinar. dicit nihil defuisse ex parte Dei; et D. Thomas ibidem ait*

contulisse Deum vineæ omnia beneficia necessaria ad ferendos uvarum fructus, et ideo illos expectasse.

9. *Eadem ratio morali fundata est in ratione naturali.* — Confirmatur. — Hæc autem morali ratio, quam ex Scriptura deprompsimus, in ratione etiam naturali supra tacta fundata est, quia ostendimus, sine auxilio sufficiente modo a nobis explicato, non constitui operationem in libera hominis potestate, seu in tali potestate qua possit libere uti, cum non habeat in sua potestate aliquid necessarium ad talem usum. Imputatio autem ad culpam supponit hanc libertatem. Quis enim homini imputet quod non videat, licet oculos habeat, si non esset in potestate ejus habere lucem? Aut quomodo potest alicui habenti vires et pedes ad ambulandum, culpæ attribui quod non ambulet, si habet pedes ita ligatos ut compedes auferre non possit: sicut ergo justa accusatio (ut ita dicam) supponit libertatem, quæ non est circa supernaturalia opera si ne auxilio sufficienti pleno, ita non est legitima accusatio, quando auxilium sufficiens non habetur. Et hac ratione ignorantia invincibilis inducit legitimam excusationem, quia non est in potestate hominis, nec ejus voluntate illam depellere. Eadem autem ratio est de quacumque alia carentia rei, vel conditionis necessariæ ad operandum, si non est in manu hominis, illa non carere, seu (quod idem est) rem illam obtinere; et confirmatur, et declaratur ulterius, quia homini non operanti vel imputatur carentia potestatis, vel carentia operationis, aut honestatis alicujus. Non primum, per se et proxime loquendo; tum quia nobis per se non præcipitur posse, sed agere; tum quia habere potestatem ad actus supernaturales non est nostræ libertatis, sed divini muneris. Dico autem per se, et proxime, quia interdum carentia potestatis potest homini imputari, quia ponit impedimentum vocationi, per quam incipit potestas dari: tunc autem prius imputatur homini defectus aliquis honestæ operationis, seu peccatum aliquid, ratione cujus caret tali potestate, et ita per se primo carentia operationis debita est, quæ imputatur; ergo homini jam vocato non imputatur defectus potestatis, sed defectus debiti usus gratiæ: ergo hic usus debet esse omnino in hominis potestate; ergo omnia necessaria ad usum debent constitui in hominis potestate, ut auxilium illi datum ante operationem sufficientem censeatur.

10. *Eadem ratio probatur ex Augustino.* —

Locutio illa, operari si velit, fit possibilis et re vera per gratiam sufficientem. — Denique doctrina hæc desumpta est ex Augustino, quæstion. 2, libr. 1 ad Simpl., ubi prius generatim dicit: *Opus est velle et currere, non enim frustra dicitur: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, et: Sic currite ut comprehendatis; et postea de Esau subjungit: Noluit ergo Esau, et non cucurrit, sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio prævenisset, qui etiam ei velle et currere vocando præstaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret.* In his enim verbis supponit Augustinus habuisse Esau auxilium sufficiens, et per illud habuisse potestatem non remotam, sed proximam, nec tantum physicam, sed moralem et liberam, per quam et velle et currere erat sibi concessum, nisi vocationem contemneret; ergo, ex sententia Augustini, auxilium sufficiens, quod satis sit ut homini imputetur ad culpam, non venire, imo et non pervenire, tale esse debet, ut ipsum velle et currere ratione talis auxilii sit in hominis potestate et voluntate; ergo necessarium est ut per tale auxilium omnia necessaria ad volendum sint in hominis potestate et voluntate. Hoc ipsum sentit Augustinus, ubicumque auxilium istud sufficiens explicat per conditionalem illam locutionem, dicens per sufficiens auxilium dari homini ut operari possit, si velit. Sic explicat gratiam datam Adæ, lib. de Corrept. et grat., cap. 11, dicens, *tale fuisse adjutorium datum Adamo, quod desereret, si vellet, et in quo permaneret, si vellet; et in capit. 12, ait in voluntate hominis fuisse positum, et cum adjutorio Dei, sine quo perseverare non posset, manere si vellet; ergo illa conditionalis, operari si velit, fit possibilis, et re vera per auxilium sufficiens; ergo per tale auxilium ponitur in voluntate hominis, quicquid est necessarium ad volendum. Nam si aliquid necessarium ad volendum non est in ejus potestate, quia nec illi datur, nec offertur sub ea saltem conditione, Si velit, profecto non potest dici ipsum velle esse in ejus libera potestate; essetque verbis ludere, et illudere hominem, si ei dicatur, posse si velit, si alias non est in potestate et libertate ejus obtinere aliquid ita necessarium ut velit, ut repugnet, sine illo, ipsum velle in rerum natura constitui.*

11. *Respondetur objectis contra gratiam sufficientem.* — Per distinctionem gratiæ sufficientis et efficaciæ, in modo includendi concomitantia et cooperantia auxilia. — Per distinctionem utriusque ejusdem gratiæ, ratione

ultimi actus seu operationis actualis.—*Per rationem qua fit ut gratia sufficiens non operetur actu.*—Ad primam ergo difficultatem in principio positam, quæ distinctionem auxilii sufficientis ab efficaci petebat, respondetur non distingui per hoc quod sufficiens sola auxilia excitantia, efficax vero adjuvantia seu cooperantia includat; utrumque enim utraque complectitur auxilia, ut de efficaci notum est, et infra dicitur, et de sufficienti ostensum est capite præcedenti. Differunt ergo in modo postulandi, seu includendi cooperantem gratiam, seu concomitantia auxilia. Auxilium enim sufficiens, si sit proximum, includit omnia prævenientia auxilia actu recepta, non minus quam auxilium efficax, et ita in illis auxiliis convenire possunt, imo et esse aliquo modo æqualia, ut postea dicemus. Differunt autem, quia sufficiens auxilium habet auxilium concomitans tantum oblatum ex parte Dei, et positum in voluntate operantis; in re vero ipsa sine illo subsistit et invenitur, et hanc separationem in conceptu suo includit, quatenus dicit tantum auxilium sufficiens. Auxilium autem efficax habet etiam auxilium concomitans in re ipsa datum, et actu positum, vel talem habitudinem ad illud, ut ab illo nunquam separatur. Unde autem hoc proveniat, postea tractabimus. Ad secundam difficultatem, in qua tangitur alia differentia vulgaris, quod auxilium sufficiens dat posse, efficax autem dat velle seu operari, respondetur differentiam sano modo intellectam esse veram. Dico autem sano modo intellectam, quia, servata proportione, etiam auxilium efficax dat posse conjunctum cum actu, et auxilium sufficiens suo modo dat velle operari; tum quia licet in effectu non conferat velle operari, constituit illud in potestate et voluntate operantis, si velit, ut ex Augustino explicuimus; tum etiam quia tale auxilium ex se et intentione Dei datur homini, non tantum ut possit, sed etiam ut faciat; nulla enim potestas datur propter se, sed propter actum; et si potestas sit sufficiens, data potestate datur actus, quantum est ex parte dantis potestatem, et similiter, si potestas sit libera, actus etiam constituitur in voluntate recipientis potestatem, ideoque omnia requisita ad actum in ejusdem constituuntur potestate et voluntate; differentia ergo, et verus sensus est, quod auxilium sufficiens ita dat potestatem cum omnibus requisitis ex parte Dei ad operandum, ut non secum afferat operationem aut voluntatem actualem, et ideo dicitur dare posse, non quia de se non det etiam agere, sed

quia profecto illud non præstat. Auxilium autem efficax dat potestatem actu influentem et operantem, et ideo ratione ultimi actus dicitur dare ac velle, et operari, vel permanere, seu perseverare, et similia. Et simili modo si vocatio sit efficax, dicitur facere ut velimus, quia infallibiliter secum affert consensum: vocatio autem, sufficiens tantum, de se etiam facit ut velimus, nam ad hoc sufficienter inducit; in re tamen non assequitur quod intendit, et ideo dicitur potius dare ut possimus, quam facere ut velimus, utique simpliciter et absolute; nam cum illo addito *de se*, etiam id potest et debet admitti. In tertia vero difficultate, petitur unde habeat auxilium sufficiens ut actu non operetur, et ita sit inefficax, et e converso unde habeat auxilium efficax ut infallibiliter effectum consequatur. Sed de primo puncto dicemus in sequenti capite; de secundo vero in sequenti libro. Nunc solum dicimus, posito auxilio sufficienti prout a nobis explicatum est, a sola quidem libertate arbitrii provenire ut non operetur; quod autem operetur, non provenire a sola libertate, sed ut per gratiam adjuta; quod tamen adjutorium alteri non defuisset, nisi restitisset: hæc autem multa declaratione indigent, quæ paulatim tradenda sunt.

12. *Respondetur fundamento contrariæ sententiæ, dari cum gratia sufficiente concursum concomitantem ad operationem necessarium.*—*Quotuplex ille sit concursus.*—Ad fundamentum denique contrariæ sententiæ, dicimus imprimis cum auxilio sufficienti dari aliquo modo concursum concomitantem gratiæ ad operationem necessarium. Hic autem concursus duobus modis dari potest, uno modo in se, seu in actu secundo, et sic repugnat dari sine ipsa actuali operatione, quia in re non distinguitur ab actione causæ secundæ, ut superiori libro visum est; ideoque concursus gratiæ sic præstitus nunquam separatur ab auxilio efficaci. Alio ergo modo potest dari hic concursus quasi in actu primo non inhærente homini, sed assistente, quia nimirum Deus ipse, qui potest solus illum concursum in exercitio præstare, intime adest voluntati jam excitatæ et vocatæ, et de se paratus est ad concurrendum cum illa, si per ipsam non steterit, et hoc satis est ut voluntas simpliciter possit et habeat omnia requisita in sua potestate, quia quod per alium possumus, cujus adjutorium paratissimum est, si illud suscipere volumus, verissime et propriissime possumus. Cum autem instatur, quia hic concursus debet inci-

pere ab ipso Deo, respondemus ex parte Dei incipere debere ab ipso, nec posse ab alio, quam a sua voluntate, trahi ad concurrendum; illam tamen Dei voluntatem jam esse paratam, et per illam esse quasi applicatam et expositam potentiam Dei, ut simul cum homine influat, ipso etiam homine suum opus inchoante. Quapropter ad obtinendum a Deo hunc simultaneum concursum, non est necessaria aliqua prævia hominis operatio, sed solum simultanea cooperatio.

13. *Discrimen inter auxilium præveniens et simultaneum seu concomitans.*—Unde est habendum præ oculis discrimen inter auxilium præveniens, in quo Deus solus sine homine operari incipit, aliquid in homine faciendo, quod non facit homo: et auxilium simultaneum, et concursum mere concomitantem. Nam auxilium præveniens, si ad opus hominis sit necessarium, et non sit jam datum ad extra (ut ita dicam), nec in homine receptum, non potest offerri, et esse ita paratum ex parte Dei, ut sit etiam immediate positum in voluntate hominis per illud operari, sed tantum potest constitui mediate in hominis potestate, id est, vel mediante aliquo alio actu, qui sit in ejus potestate, quem si fecerit, infallibiliter ei dabitur tale auxilium, vel saltem media carentia alicujus impedimenti, quod libere possit homo non ponere non peccando. Ratio est illa quæ in fundamento contrariæ sententiæ facta est, quia cum illud debeat incipere a solo Deo, si non absolute datur, sed sub conditione offeratur si homo aliquid faciat, necesse est ut id quod ab homine exigitur, ad obtinendum actu illud auxilium, non sit faciendum ab homine cum illo eodem auxilio, quia illud debet a solo Deo inchoari, ut supponitur: ergo debet aliquis alius actus, ad quem non sit necessarium illud prævium auxilium, vel carentia pravi actus, a quo etiam possit homo libere abstinere, sine eodem auxilio, quia impossibile est postulare ab homine dispositionem ad obtinendum præveniens auxilium, quæ sit ipsemet actus, qui sine illo prævio auxilio fieri non potest, ut in libro sequenti latius ostendemus.

14. Hic autem non agimus de præveniente auxilio; dicimus enim auxilium sufficiens, si sit proxime sufficiens et completum, includere omnia auxilia prævenientia, non tantum oblata, sed actu data; nam, si aliquid est tantum oblatum, aliud auxilium datum non erit proxime sufficiens ad illum actum, ad quem aliud præveniens auxilium offertur, sed

poterit esse tantum sufficiens remote, mediante scilicet alio actu orationis, verbi gratia, vel alterius dispositionis necessariæ ad obtinendum novum auxilium, ad quam dispositionem præstandam, prius auxilium erit proxime sufficiens, et includet omnia auxilia prævenientia, ad illam necessaria, actu jam data, ut satis declaratum est et probatum. At vero concursus concomitans, eo ipso quod est sufficienter oblatum ex parte Dei, est immediate in hominis potestate, quia non indiget homo alio actu ut illum a Deo obtineat, quia ad illum actum esset necessarius alius concursus, et sic procederetur in infinitum; sed solum necessarium est, ut homo libere præbeat influxum ex parte sua necessarium ad actum; nam tunc eo ipso Deus influit ex vi præcedentis voluntatis, qua suum influxum homini obtulit. Et ratio est, quia in hoc influxu et concursu nihil Deus solus operatur in homine, quod non etiam faciat homo, nec e converso, sed in causando simul omnino incipiunt; ideoque optime potest concursus Dei offerri homini, si velit Deo cooperari ad illummet actum, ad quem concursus Dei paratus est.

15. Quod vero ultimo loco addebatur, de prædestinatione aut prædefinitione voluntatis Dei, ad rem præsentem non pertinet, quia quidquid sit de modo quo hi actus sint in Deo respectu actuum humanorum et liberorum, illi non pertinent ad auxilia gratiæ necessaria ad operandum, sed ad modum quo Deus, tanquam primus auctor gratiæ, efficit vel providet talia auxilia, de quo modo, licet alibi copiose dixerimus, aliqua in libro sequenti attingemus. Nunc autem solum dicimus auxilium sufficiens, etiamsi non procedat ex voluntate Dei absolute præfiniente actum hominis, debere esse tale, quale illud descripsimus, ut sit vere sufficiens; imo etiam addimus, quoties actus propter quem datur auxilium sufficiens, non est prædefinitus, aliqua ex parte ipsi homini posse attribui, ut in materia de prædestinatione latius tractatur, et ex dicendis in sequenti capite declaratur.

16. *Gratia efficaci distinguitur a sufficiente, tanquam includens ab incluso, additque infallibilem connexionem cum operatione.*—*Et ob id etiam privative opponuntur.*—Denique hinc solum manet tertium argumentum in capite primo relictum, quod petebat quo modo illa duo membra inter se distinguantur, vel opponantur; dicendum est enim distingui tanquam includens et inclusum, et quasi pri-

vative opponi. Declaratur, quia gratia sufficiens dat vires sufficientes voluntati, ut cum Augustino loquamur; gratia vero efficax dat vires efficacissimas: vires autem efficaces etiam sunt sufficientes; ergo includit efficax totum id quod est quasi positivum in sufficiente, et addit infallibilem connexionem cum operatione, quam non includit sufficiens: ergo, ob rationem priorem, recte dicuntur distingui ut includens et inclusum: posteriori autem ratione, gratia sufficiens quamdam privationem includit, propter quam potest dici inefficax, ac subinde privative opponi efficaci, et hinc obiter intelliguntur duo: unum est, divisionem hanc esse sufficientem, quia per membra immediate opposita traditur. Aliud est, propter hanc divisionem non multiplicari gratias actuales, vel habituales supra enumeratas, sed easdem explicari cum diversis habitudinibus ad actualem operationem, ut declaratum est. Et hæc sufficere videntur ad simplicem quamdam divisionis explicationem; nam profundior illius comprehensio ex singulorum membrorum pleniori intelligentia pendet: superest ergo ut ea quæ specialiter ad gratiam sufficientem pertinent, in reliqua parte hujus libri prosequamur.

CAPUT III.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS SIT VERUM AUXILIUM GRATIÆ INTERNÆ, DISTINCTUM A LEGE, REVELATIONE ET DOCTRINA.

1. *Calvini error negantis gratiæ interioris auxilium.*—*Pelagii error solas externas gratias postulantis.*—In hoc capite præcipue notandus et refellendus est error Calvinii, dicentis nullum esse verum gratiæ interioris auxilium, præter auxilium efficax, quale ab ipso ponitur, inducens necessitatem, et tollens libertatem; ideoque omnia loca Scripturæ, in quibus reprehenduntur homines qui gratiæ Dei resistunt, interpretabatur de gratia externæ doctrinæ per Scripturam, vel per prædicationem verbi Dei; ita refert quidam in id Act. 7: *Vos Spiritui Sancto resististis*, dicens contaminasse Calvinum locum illum, asserens eos resistere Spiritui Sancto, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter rejiciunt, quia non de internis revelationibus et inspirationibus, sed de externo ministerio ejusdem verba intelligenda esse accurate monebat. Unde plane convincitur solam exteriorum doctrinam satis esse putasse ad auxilium sufficiens, cum illi resis-

tere censeatur esse culpabile et reprehensione dignum, in quo errore videtur Calvinus Pelagius consentire, quoad sufficientem gratiam, licet, in efficaci, in alio extremo illi contrario sit, ut postea videbimus. Pelagius enim per solam gratiam prædicationis, doctrinæ, promissionis et exempli dicebat sufficienter juvari possibilitatem naturæ, ut homo possit bene operari et sanctificari, si velit. Ultra hanc vero gratiam non postulabat alias gratias ad volendum et operandum cum effectu; nam nisus libertatis sufficere putabat; unde fundamentum ejus erat, quia, proposito objecto sufficienti, voluntas potest circa illud operari si velit; ergo illa propositio objecti sufficiens, per revelationem, vel alia externa media sufficientia, est etiam sufficiens gratiæ auxilium ut homo convertatur, si velit. Calvinus autem, cum gratiam efficacem ad bonum efficiendum cum voluntate requirat, non video quo fundamento dicere potuerit externam doctrinam esse sufficiens auxilium cui resistere peccatum sit; unde potius credidisse videtur non esse de ratione peccati actualis ut vitari possit, quia putavit non posse liberum arbitrium internæ motioni Spiritus Sancti resistere; inde intulit, eum qui resistit, a Spiritu Sancto interius non moveri, sed tantum exterius vocari, et nihilominus peccare.

2. *Idem nomine gratiæ intelligit legem ut doctrinam.*—*Videtur favere sanctus Augustinus.*—Suntque apud Augustinum in lib. 1 de Grat. Christi nonnulla loca, in quibus, nisi attente legatur, videtur impugnando Pelagium, in hanc sententiam inclinare; cum enim Pelagius diceret Deum per gratiam suam juvare nostrum posse, id est, per legem et doctrinam, quam Pelagius nomine gratiæ intelligebat, Augustinus urget illum, ut illam gratiam fateatur quæ dat velle et facere, quæ est gratia efficax, et ita inter has nullam aliam sufficientem agnoscere videtur, unde capit. 10 sic inquit: *Nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur, nec solum revelatur sapientia, verum etiam amatur, nec suadet solum omne quod bonum est, verum etiam et persuadetur.* In quibus verbis aperte loquitur de gratia efficaci, qua vocati veniunt, et qui audiunt credunt et suasi persuadentur, unde id confirmat verbis Christi Joan. 6: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; et: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo; quæ testimonia frequentissime idem*

Augustinus de gratia efficaci interpretatur, et de illa concludit in eodem capite: *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Sentit ergo Augustinus omnem gratiam suadentem et non persuadentem, vocantem et non trahentem, non transcendere legis et doctrinæ rationem, et nihilominus esse gratiam sufficientem, quia ultra illam non agnoscit nisi efficacem, et inde concluditur gratiam sufficientem tantum esse externam, qualem Pelagius fatebatur.

3. Unde capit. 13, ut distinguat propriam gratiam internam ab ea quam ponebat Pelagius, sic inquit: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere: non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsos, qui incrementum suum ministrat occultus, etc.* Hæc autem gratia profecto efficax est, ideoque de illa subjungit: *Sic docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant scire, et quod sciunt agere.* Videtur autem Augustinus de interna gratia et efficaci tanquam de æquipollentibus, et quæ mutuo convertantur, loqui; quod magis insinuat inferius, dicens: *Qui autem novit quid est quod fieri debeat et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram.* Ergo, secundum Augustinum, omnis qui non operatur ex gratia, non recipit internæ gratiæ spiritum, et tamen negari non potest quin multi, non cooperantes gratiæ, sufficiens gratiæ auxilium recipiant; ergo gratia sufficiens non includit interiorem gratiam.

4. Ac denique c. 14, de hoc docendi modo quo per gratiam docet Deus, ait non recte dici aliquem audivisse et didicisse sibi esse veniendum, et non facere quod didicit; sic enim ait: *Sicut Veritas loquitur, omnis qui didicit venit, quisquis non venit, profecto non didicit.* Unde nos possumus, e contrario, colligere, omnem illum qui, licet audierit et aliquo modo didicerit esse veniendum, non venit, non audivisse eo modo quo gratia interna docet, sed eo tantum modo quo exterior doctrina suadet, et tamen multi sic non venientes habent auxilium sufficiens: ergo auxilium sufficiens non includit interiorem gratiam, seu doctrinam. Unde ibidem concludit: *Ac per hoc quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam*

volendo appetat, agendoque perficiat. Ergo, teste Augustino, gratia qua Deus interius docet semper est efficax; ergo, e converso, gratia sufficiens non docet interius, sed tantum per legem et doctrinam: sunt pleraque alia loca in libris Augustini non parum difficilia quæ hanc partem confirmare videntur; illa tamen commodius in cap. 6 tractabo.

5. *Contraria sententia et vera asserit gratiam sufficientem includere internam gratiam præter externam.*—*Duobus modis Deus potest dare gratiam sufficientem.*—His vero non obstantibus, dicendum est gratiam sufficientem necessario includere interiorem gratiam præter externam, et in ea principaliter consistere. Ut hæc assertio probetur, explicatur prius, supponendo duobus modis posse Deum movere, seu auxilium sufficiens præbere homini in ordine ad aliquem actum pietatis, scilicet, vel aliquo medio externo signo seu objecto, vel mere interius immutando potentias, juxta Augustini doctrinam, lib. 1 ad Simplic., q. 2, et lib. de Bono persev., cap. 14; quando ergo Deus hoc posteriori modo præbet auxilium, clarè videtur tale auxilium internum esse. Verumtamen ille modus rarus est, et extra ordinariam legem significatam a Paulo ad Romanos 10 dicente: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, ubi de verbo externo loquitur, ut alia verba declarant: *Quomodo audient sine prædicante, quomodo autem prædicabunt, nisi militantur*, etc. Auxilium ergo externæ prædicationis et suasionis, necessarium quidem est ex lege ordinaria, et ad gratiam Dei spectat, ut lib. 3, c. 1, dixi; et ita sub auxilio sufficienti integro et completo regulariter includitur, quia, ut dixi, illa est ordinaria via trahendi homines ad salutem; sed quæ per se non est satis, ideo dicimus inde non posse in illa consistere auxilium sufficiens simpliciter et collective, licet in suo genere doctrinæ, vel propositionis objecti, sufficientiam suam habere possit.

6. *Quid per motionem externam intelligatur.*—In quo ulterius attente considerandum est, sub hoc auxilio externo non intelligi tantum motionem illam externam quæ ad sensus pervenit, sed etiam illam quæ in mente fit per conceptus vel affectus quos illa externa objecta et eorum phantasmata, possunt in mente naturaliter causare: non est enim dubium quin, sonante voce prædicatoris, in intellectu fiat naturaliter species earum rerum quæ audiuntur, et per illas species naturali etiam virtute possint formari aliquot conceptus rerum et ra-